



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig

Salisburgi, 1693

Privilegium XXXIV. Per Professionem in Monasterio tolluntur omnia vota
præcedentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

votum solenne castitatis annexum habent, quod quidem uxori in petitione debui non præjudicat, (cum jure suo sine culpa privari non debuerit) sed Marito, & ita, ut post mortem uxoris nec licite nec valide propter votum solenne aliud Matrimonium contrahere possit, sed debeat statum Clericalem reassumere vel Monasterium ingredi Sanchez. *lib. 7. disp. 38. n. 23.*

ADNOTATIO.

AD Num. 9. Objicies, qui voluit votere castitatem in Religione, non hoc ipso voluit etiam in saeculo, proinde habebit hic locum Regula, quod potuit non voluit, &c. Resp. hoc argumentum posse aliquando obtinere in conscientia, si votens talem limitatam intentionem posuerit, interim ex *d. c. placet 11. de convers. Conjug.* præsumi, quod voluerit se eo modo obligare quo potuit, juxta illud: si actus non valet ut ago, valeat omni meliori modo, quo valere potest, §. *fm.* & ibi DD. de *Adopt.* Instas, quare non etiam alia vota scilicet obedientie & paupertatis professione annullata valent in vim voti simplicis? Resp. quod hæc habeant majorem dependentiam & connexitatem cum Monasterio, ut nemo rationabiliter præsumi possit, ad ea se voluisse extra Monasterium obligare. Si in præxi hic casus eveniret suadetem dispensationem petendam, quam contracto Matrimonio in ordine ad petendum debitum eo durante dari posse ab Episcopo plurimum est sententia, cum Nav. in *Man. c. 16. n. 30.*

AD Num. 11. Dices, debitor etiam non requisitus potest debitum restituere creditori, sed maritus in suo corpore est debitor uxoris juxta illud: *vir possessorem sui corporis non habet, sed mulier.* &c. ergo, &c. Resp. Majorem esse veram nisi debitor per talem solutionem non petente creditore faciendam exponat se peccandi periculo.

AD Num. 13. Dices, qui seis se obligari ex eo, quod facit, tacite vult obligari, qui tacite vult obligari tenetur ac si expresse promississet, sicut ex eo capite Clericus obligatur ad votum castitatis SS. Ordinibus annexum, ergo, &c. Resp. Majorem procedere ex præsumptione non ex veritate, & ideo non esse obligationem in conscientia, nisi veritas subsit, prout etiam Clericus qui non habet intentionem se obligandi ad

castitatem, non tenetur ex voto sed ex præcepto Ecclesie abstinere à matrimonio. Quod cum illa præsumptio etiam in foro externo non habeat iurum & de jure & neque ex præcepto Ecclesie teneatur conjux invitus ad ingrellum, plurimum verum actualem consensum polliciti, cum colligitur ex *c. 1. de convers. Conjug.* & in dubio non est facile obligatio inducenda, ut inpolitur libertas professionis, quam præsentem Conc. Trid. variis locis *sess. 25. de Regul.* voluit integram esse, & ex coacta professione sancta in Monasterio oriantur.

PRIVILEGIUM. XXXIV.
Per Professionem in Monasterio tolluntur omnia vota præcedentia.

1. Ratio Privilegij & exceptio ab eo.
2. Vota post Professionem emissã postea abinquirantur.

Hoc egregium nec longè à priori dicitur Monasteriorum Privilegium tradidit DD. communiter ex *c. Scriptura 4. de Voto. de qua ceteris Sanch. in præcept. Decal. 100. 2. lib. 6. c. n. 36.* & ex eo Barb. in *ord. c. 1. n. 1. Ratio est, quod cum omnia vota Dec. promissa sint opera particularia, continetur in consecratione ipsa Religionis Professione, per quam se & omnia sua dedicat proficiens divino obsequio mortuus priori vitæ, & nihil nec propriam voluntatem sibi reservans. Excipit tamen Sanchez. *d. 1. n. 45. & 47.* vota realia v. g. dandi elemosinas, &c. si jam parti inimitata, atque tunc per acceptationem ei Jus quæ situm foret. Item illa vota realia quæ à decessore emissã hæret, postea tenentur.*

Potest post Professionem Religiosus aliter quodcumque votum votere non potest, nisi sub tacita conditione si Abbas toleraverit, unde Abbati competit potestas vota suorum Religiosorum directe irritandi, *1. causa 20. q. 2.* Irritum quoad licentiam, seu consensum Abbatis petendum distinguendum est, an Religiosus votum fecerit in actione sibi licita & concessa, v. g. certas orationes privatim discendi, &c. vel

ENGEL

an in actione quidem bona; Religioso tamen certa ex causa prohibita v. g. pereginandis extra Monasterium, &c. priori casu Religiosus non tenebitur petere licentiam Prælati, sed de facto obligabit votum, usque dum ab Abbate aliunde resciente vel per generalem prohibitionem in capitulo irritetur; altero autem casu obligabitur ad petendam licentiam, quia saltem tenetur ex voto facere quantum in se est. Vid. *Less. de Voto dnb. 10. ubi n. 70.* ait, Superiorem saltem venialiter peccare, si absque rationabili causa irritet votum sui subditi, quod ab utroque sua potestate impediendo promptitudinem ejus ad exhibendum Deo cultum per votum.

PRIVILEGIUM XXXV.

Monasteria gaudent omnibus Privilegijs piarum causarum.

Monasteria esse *pias causas*, quia ad Religionem ad specialem cultum divinum, ad vitam sanctam instituta, per se clarum est, & omnes ubique id asserere testatur Tiraq. *de priv. pia causa. in presat. V. primum igitur.*

Plurima autem Privilegia *piarum causarum* enumerant DD. quorum s. 4. ponit Barb. *I. Ecc. V. lib. 2. c. 13.* & Tiraq. in d. tract. 167. recenset, ex quibus præter hæc tenus dicta aliqua adhuc magis notabilia referemus.

PRIVILEGIUM XXXVI.

Monasteria participant Privilegia fisci, libertatis, militum, alimentorum, dotis, minorennium, & Reipublici modo casus sit applicabilis, & in jure contrarium non sit dispositum.

1. *Reddatur ratio extensionis circa singulas istas causas favorabiles.*
2. *Responditur objectioni, quod Privilegia extendenda non sunt.*

Ita præter Eberhardum in *Top. in loco à s. fco ad Ecclesiam, à dote ad Ecclesiam, à militis ad*

Ecclesiam, & similibus, tradit Laurent. de Franch. *de Controv. Reg. p. 2. q. 96.* & ibidem Pasqual. *in addit. Tiraq. in varijs Privilegijs piarum causarum.* Ratio addi potest de singulis.

Si enim *fiscus* propterea est privilegiatus, quia est causa Principis, multò magis idem erit in Ecclesia, cuius causa est Dei, *text. in T. id. sess. 25. de Refor. c. 1. ibi res Ecclesiasticas que Dei sunt &c. & in eadem sess. 25. c. 20. ibi: que Ecclesiastici iuris sunt tanquam Dei præcipua, ejusque patrocinio secta, &c.* Si libertas favorabilis quia eximit à servitute, reddit hominem naturæ, quæ omnes liberos genuit, non minus favorabilis erit Religio, quæ non tantum liberat ex potestate dominica, sed etiam ex captivitate perpetua Diaboli, & facit ut teste Apostolo, *in Christo omnes liberi sumus.*

Si *Militia* favore digna est, quia corporalibus armis tuetur Patriam, tantò magis erit Religio, quæ contra inimicos visibiles & invisibiles armis pugnat spiritualibus, quæ unice temporalibus longè validiora sunt, ut exemplo Moysis docemur, quo orante extensis manibus in monte Horeb, vincebat Populus Israeliticus, eo autem remittente vincebatur, *Exod. 17.* huc quoque refert potest, quod eleganter dicit Laurentius Just. in *opusc. de Monast. Conversi quid aliud*, inquit, esse dicimus Religiosorum Monasteria *quæ Deo famulantium loca, quàm stadia militaria atque spiritualia castra pugnantium, &c.*

Si *Alimenta* magnum in Jure favorem habent, quia ad sustentationem corporis necessaria, sane Ecclesia & Religio, quæ conservat animam tantò id sibi magis vindicabit, quantò anima corpori est præstantior juxta illud Christi *Matth. 6. v. 25. nonne anima plus est quàm esca.*

Si *Mulierum pupillarum & Minorennium* bona singulariter Jura protegent, quia alienæ curæ commissa multorum sunt captivibus obnoxia, meritò etiam bona Ecclesiæ à legibus protegenda sunt, quia à diversis Officialibus administrantur & multorum invidiæ ac insidiis sunt exposita.

Si deniq; *Reipublicæ* favendum, quia nimirum Res publica aut publica res est, commune bonum concernens, quis audeat Ecclesiæ negare ex ejus precibus & divinis Officialibus doctrina & instructione commuæ fidelium bonum pro-